Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dionysius Periegeta

DIONYSIVS AFER || DE ORBIS SITV,|| PRISCIANO INTERPRETE.||

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1577

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1703739183

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Cc-
H556 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1703739183/phys_0001

III — 1086.

<R> Cc-4556 1.2

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1703739183/phys_0002

III.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1703739183/phys_0004

DIONYSIVS AFER
DE ORBIS SITV,

PRISCIANO INTERPRETE.



ROSTOCHII

Excusa per Iacobum Lucium.

Anno ∞ Ð LXXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1703739183/phys_0005





Universitäts-
Bibliothek
Rostock
LB 5344

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1703739183/phys_0006

HENRICVS BRVCÆVS STVDIOSO LECTORI S. D.

DIONYSIVM hunc, alij Afrum, alij Alexandrinum scribunt: Suidas Corinthium statuere videtur. Cum enim multorum Dionysiorum meminerit; ad Corinthium, periegeseos autorem refert. Eustathius Afro Byzantino asscribit. Sunt enim Byzantes populi Asiæ minoris, inter promontorium Mercury, & Syrtim minorem positi. Hic Ityca nostri Dionysii patria, vt Volaterranus in Africæ minoris descriptione scriptum reliquit. Vixisse eum temporibus Imperatorum versus hic indicat: Ῥώμλῳ τιμήεσσαν, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων. Volaterranus in Augusti tempora incidisse testatur. Latine hunc reddidit Rhamnius Famius, aut, vt alijs placet, Priscianus, vterq; inter veteres grammaticos celebris. Orditur à partitione orbis in Europam, Africam, & Asiam, veteres omnes secutus.

Has Tanai fluuio, Nilo, & mediterraneo mari seiungit. America enim, quam nouum orbem nonnulli appellant, auorum nostrorum memoria, Duce Columbo Genuense, aperta est. Tum Oceani diuersa nomina, iuxta mundi cardines, & amplissimos eius sinus, Mediterraneum, Arabicum, Persicum, Caspium, commemorat. In eo lapsus cum Pomponio, quod Caspium mare, sinum crediderit septentrionalis Oceani: cum ex influxu maximorum fluminum Rha, Iaxartis, Ochi, Cyri, Araxis, aliorumq; oriatur. Persequitur deinde maris mediterranei flexus, à freto Herculeo facto initio: Eius sinus, siue maria, recenset, Ibericum, Gallicum, Ligusticum, Thyrrhenum, Siculum, Creticum, quæ Europæ adiacent. Tum quæ Asiæ, Aegyptium, Sidoniũ, Pamphylium. Et quæ inter Asiam Europamq; media, Aegeum, Hellespontum, Propontidem, Pontum, Paludem Mœotida. Transit deinde ad Africæ descriptionem: Dehinc Europam aperit: posthæc, insulas mediterranei maris, & Oceani commemorat. Asia po-

postremam operis partem sibi vendicat, quod in ortum porrecta sit. Cum enim ab occasu suæ descriptionis fecerit initium, recte in Asiam, quæ vltima in ortum extenditur, desinit.

Porro Geographi potissimum munus est, telluris partem cognitam, vnam & continuam, vt natura situq; se habet, cum ijs quæ inter prima habentur. (Vt sunt regiones, ciuitates amplæ; sinus, flumina ingentia montes vasti, & si quæ sunt alia eius generis illustria) oculis legentium subijcere. Alterum enim, quod positum est in commemoratione naturæ locorum, aquarum, lapidum, animalium, aliarumue rerum quæ regioni alicui propriæ sunt, (quarum à Dionysio nonnulla in Sicilia, Sardinia, Perside, Aegypto recensentur) minus ad geographum spectat. Vt neq; rerum gestarum memoriam, mores, vitasq; hominum, descriptioni inserere, admodum ad Geographum pertinet. Cepit hoc doctrinæ genus ex paruis initijs magna incrementa, summumq; fastigium hisce temporibus prope attigit: patefacto quaqua versum Hispanorum nauigationibus terrarum orbe. Lusitanis orientem, Castellanis occidentis amplissimas regiones aperientibus. Vt nullus fere sit iam terræ angulus, qui nostrorum hominum nauigationibus non sit perlustratus. Orientis, Occidentisq; regiones patefactæ sunt: In septentrionem ad loca ipsi polo subiecta progressum est. In meridie quintum supra quinquagesimum latitudinis gradum attigerunt. Veteres autem, vt apud Ptolomæum legere licet, ad Prassum promontorium in meridiem, ad Thulen septentrionem versus peruenerũt: Ab insulis autem fortunatis, in ortum, interuallum centum et octuaginta partium longitudinis descripserunt: quicquid reliquum est, incognitum ijs fuit. Meminit quidem Plato in Timæo Atlantidis insulæ, quæ magnitudine Africam, Asiamq; vinceret. Et Pompo. Mela libro tertio, vbi de Aethiopia agit, refert, Eudoxum, dum Lathyrum regem fugit, per Arabicum sinum, ad Gades appulisse. Verum de locorum natura situq; nihil prodiderunt. Mirum autem est veteres, qui incredibili studio cognoscendi tenebantur, intactum prope occidentis Oceanum reliquisse, & alterum terreni globi hemisphærium magna ex parte ignorasse: arbitrantibus plerisq; ab Oceano australinas mundi partes occupari. Cum ipsa corporum grauium natura nos doceat, non posse alterum globi hemi-

hemisphærium esse aqueum, altero ex terra constante. Cernuntur enim corpora grauia in idem centrum, (siue id vniuersi, siue grauitatis sit centrum) ferri: quod omnia ad perpendiculum deorsum tendant: Et terrea in aquis subsidere, petitura, (nisi terreno solido impedirentur,) locum infimum, hoc est centrum, in confesso est. Quare terrenum boreale hemisphærium, altero aqueo existente, delabi ad centrum vniuersi, siue grauitatis, & aquis tegi foret necesse: quod cum non fiat, oportet hanc terram librari alia, quæ ex aduerso, in altero hemisphærio, huic respondeat, & hunc in modum centrum vniuersi, siue grauitatis, suo grauitatis centro tenere; sugq; veluti sinu vastum Oceanum suscipere. Hæc certe ratio si veteribus in mentem venisset, poterat eos permouere, ne arbitrarentur Oceanum quaquauersum in meridiem extendi, sed aliam ibi esse tellurem, huic nostræ oppositam, quæ æquilibrium efficeret. Id quod Hispanorum nauigationibus, confirmatum est: Vti Antipodes esse, qui nobis obuertant vestigia: Et sub æquatore, totaq; Zona torrida habitari, eædem comprobarunt. Has controuersias, Geographia (quæ lucem maximam lectioni historiarum affert, & cuius vsus, per omnia fere scriptorum genera sparsus est) sustulit: Vt merito cum ob sui cognitionem, tum ob vsum, (qui in historia, aliisq; eruditorum scriptis conspicuus est) digna imprimis censeatur, in quam bonarum artium studiosi incumbant.

DIONY-

DIONYSIVS AFER
DE ORBIS SITV,
PRISCIANO INTERPETE.



Atura genitor, qua mundum continet omnem,
Annue rex cali positum telluris & unda,
In quas imperium mortalibus ipse dedisti,
Materia tanta me promere carmine digno.
Incipiens terra tractus, pontiq; meatus,
Et fluuios canere, atque urbeis, populosq; per orbem
Discretos: latè refluum memorare parabo
Oceanum: tellus quo cingitur æquore tota,
Insula ceu sese diffundens littore vasto.
Non tamen assiduo teres undique margine circum
Clauditur hæc, bifido sed brachia littore pandens
Arctatur rapidos cursus ad solis utrinque,
Assimilis fundæ. sed quamuis corpore toto
Una sit hæc, homines tres dicunt esse diremptas.

Et pri-

Et primam Libyen, pòst Europen, Asiamq́.
Sed Libyam Europæ discernit finibus amplis
Linea, quam obliquant Gades atque ostia Nili:
Quà boreæ excurrit Memphitis terra sub axeis,
Atque locum vouit Spartano fama Canopo.
Sed terras aquilo quà frigore damnat iniquo,
Europen Asiæ Tanais disiungit ab oris:
Sauromatas linquens Scythiam qui gurgite vasto
Perstringit, præcepsq́ ruit Mæotida poscens.
At medius finis, iam iam declinis ad Austrum est,
Quas Hellesponti fauceis dixere priores:
Sed magis australis sunt terminus ostia Nili.
Per mare sic, fluuioq́ duos, discernitur orbis.
Ast alii terris malunt discernere terras.
Finibus est Asiæ latus arctum lingua supernis,
Caspia quam mediam faciunt atque æquora ponti
Euxini: locus hic discrimen dicitur esse
Europes Asiæ disiungens ruribus arua.
Ast alius finis longissimus exit in austros,
Qui secat AEgypti terras æquorq́ Sabæum:
Separat hic Libyen Asiæ confinia rumpens.
Talia mortales perhibent discrimina terræ.
Circuit oceani gurges tamen vndiq́ vastus,

Qui,

Qui, quamuis vnus sit, plurima nomina sumit.
Finibus hesperiis Atlanticus ille vocatur.
At boreæ quà gens feruens Arimaspa sub armis,
Dicitur ille piger, nec non Saturnius: idem
Mortuus est aliis, minimo quòd lumine Solis
Perfruitur: tardè radios nam suscipit ortus,
Nubibus & crassis premitur nimbisq; grauatur.
Vnde tamen primo conscendit lumine Titan,
Eoumq; vocant atq; Indum nomine pontum.
Sed quà deuexus calidum polus excipit austrum,
AEthiopumq; simul pelagus Rubrumq; vocatur:
Quà deserta patet tellus ardore perusta.
Circuit oceanus sic totum maximus orbem,
Nominibus variis celebratus & æquore tanto.
Hinc atque inde sinus penetrabilis efficit ille
Exiguos multos, dirimens mare, quattuor amplos.
Persecat Hesperiam primus qui porgitur vndis,
Pamphylumq; latus Libyæ protendit ab oris.
Hoc minor est, reliquis maior, quam Caspia tellus
Suscipit intrantem vastis aquilonis ab vndis,
Nomine Saturni quod Tethys possidet æquor.
Caspius iste sinus simul, Hyrcanusq; vocatur.
At duo, qui veniunt australis ab æquore ponti,

Hìc

Hìc ſupra currens mare Perſidis efficit altum,
E regione ſitus qua Caſpia voluitur vnda:
Fluctuat aſt alter Panchæaq́ littora pulſat,
Euxini contrà pelagus protentus in auſtros.
Hoſce ſinus perhibent quos Tethyos efficit vnda
Maiores: nam ſunt alii multiq́ minores.
Nunc maris Heſperii luſtrabo carmine tractus,
Flexibus in variis qui frangitur æquore pontus,
Has ſtringens pelago terras, circumfluus illis:
Montibus & radens, ſuppoſtasq́ vrbibus oras.
Adſis ô numen ſtudiorum præſul & artis,
Ordine principium capiens Atlantis ab vnda:
Herculeo celebrant quà metæ munere Gades,
Califeras tenens Atlas ſtat monte columnas.
Eſt primus vaſtis qui pontus Ibericus vndis
Diuidit Europen Libya, communis vtriq́.
Hinc atq́ hinc ſtatuæ ſunt. ambæ littora cernunt,
Hæc Libyes, hæc Europes, aduerſa tuendo:
Gallicus hinc gurges, qui Celtica littora pulſat,
Excipit. hinc ſequitur Ligurum cognomine dictus.
Quà domini rerum terris creuere Latinis,
Ad Petram Leucen aquilonis ab axe reductis,
Quæ freta Sicaniæ concludit littore curuo.

Insula sed Cyrnos propriis pulsatur ab vndis,
Inter Sardinium pelagus Celtumq; refusis.
Inde salis tumidus Tyrrheni voluitur æstus,
Ad parteis vergens australeis, excipit istum
Siciniæ gurges, solis deflexus ad ortus:
Qui procul effusus Pachyni distenditur oris,
Ad Cretæ summam, quæ prominet æquore, rupem:
Quà Gortyna potens, mediis quæ Phæstus in aruis.
Arietis hanc rupem simulantem vertice frontem,
Pro merito Graii Criu dixêre metopon.
Hoc mare Gargani concludit Iapygis ora.
Illinc incipiens extenditur Adria vastus,
Ad boream penetrans pelago, solemq; cadentem:
Ionius pariter sinus hic perhibetur ab orbe.
Diuidit & geminas diuersis partibus oras,
Quas tamen extremas coniungit terminus vnus:
Ad dextram partem protenditur Illyris alma,
Post hanc Dalmatiæ populorum martia tellus.
At lævam Ausoniæ porrectus continet Isthmos,
Quem tria circundant maria vndiq; littore curuo:
Tyrrhenum, Siculum, nec non simul Adria vastus:
Finibus ac propriis exceptant singula ventos:
Tyrrhenum zephyro, Siculum sed tunditur austro,

Adria

Adria ſuccurrens eoo frangitur euro.
At poſt Sicaniam tractu diffunditur alto
Ad Syrtin pelagus, Libycis quæ cingitur oris,
Maiorem: poſt quam minor excipit æquora longè.
Atq; ſinu gemino reſonantia littora pulſant.
Finibus à Siculis Cretæum prouolat æquor,
Ad ſolis veniens ortus, Salmonida poſcens,
Dicitur eous qui Cretæ terminus eſſe.
Poſt hanc eſt geminum mare vaſtum fluctibus atris,
Flatibus Iſmarici boreæ quod tunditur acris,
Qui ruit aduerſus celſæ de partibus arcti.
Quod prius eſt Pharium perhibent, hoc littora tangit
Præcipitis Caſii montis: pòſt vnda ſecunda
Sidonium eſt pelagus: penetrat qua gurgite pontus
Iſſicus, arctoas ad parteis æquore vergens:
Non longè rectus: Cilicum nam frangitur oris.
Hinc zephyros poſcens veluti draco flectitur vndis,
Qui iuga montiuagus vaſtat ſyluasq; fatigat.
Partibus extremis Pamphylia clauditur iſto.
Atq; Chelidoniæ rupes cinguntur eodem.
At procul hunc zephyrus finit Patareïde ſumma.
Poſt hæc arctoas ad parteis aſpice rurſus
AEgæum, ſuperat qui fluctibus æquora cuncta,

Dispersas vasto qui gurgite Cycladas ambit:
Terminat hunc Imbros pariter Tenedosq; coërcens,
Angusta trahitur quà fauce Propontidis vnda:
Asia quam supra populis distenditur amplis
Ad notiam partem, qua latus ducitur Isthmos.
Threicius sequitur pòst Bosporus, ostia ponti:
Hoc nullum perhibent terras angustius orbis
Esse fretum dirimens: hìc sunt Symplegades arctæ.
Panditur hinc Ponti pelagus Titanis ad ortus:
Quod petit obliquo boream solemq; meatu.
Hinc atq; hinc medio procurrunt æquore colles.
Vnus, qui veniens Asiæ de parte Carambis
Dicitur, australis: sed contrà finibus alter
Prominet Europæ, hunc Criu dixere metopon.
Ergo conueniunt aduersi, gurgite tanto
Distantes quantum ternis transire diebus
Eualeat nauis, bimarem sic æquore pontum
Aspicias, similem cornu quo flectitur arcus
Neruo curuatus distento. dextera neruum
Assimilat: recto trahitur nam linea ductu,
Extra quam boream quod scandit sola Carambis:
Sed formam cornu geminatis flexibus edit
Littus quod Pontum cingit sub parte sinistra,

In quam

In quam Mæotis penetrans aquilonis ad axcis,
Quam Scythiæ gentes circundant undiq; ripis,
Et matrem Ponti perhibent Mæotidis undam,
Scilicet hinc Ponti vis exit gurgite multo
Cimmerium torrens per Bosporon: hìc ubi Taurum
Cimmerii gelidis habitant sub finibus imum.
Hæc maris est species, splendens hæc forma profundi.
Nunc tibi telluris regiones carmine pandam,
Vt cernas animo non visas lumine terras,
Atq; docens alios laudaris pectore docto.
Incipiens Libyæ, tenuisq; à Tethyos undis,
Oceanus Tyrias qua pulsat gurgite Gades,
Tenditur ad notias partes, & solis ad ortus.
Et mensæ formam reddit mensoribus artis,
Quam tradunt terræ non æquam margine cuncta.
Terminat hæc fineis Rubri propè littora ponti
Latos: AEthiopum populus quos possidet alter:
Quem calidis iuxta terris pascuntur Erembi:
Has pelli similes pardi dixere priores:
Nanq; solum squalens urbeis distinguit opacas.
Hac sitis, hac humor latos variatur in agros. quandoquidem
Sed summam Libyen habitant ad Tithyos undas,
Alcidæ quà sunt statuæ, Mauritia plebes.

Post hos immensa Nomadum de semine gentes:
Atq; Masæsylii, nec non Masylia proles.
Saltibus hos duris asper siluisq; vaganteis
Victus alit sæua quæsitus cæde ferarum:
Scilicet ignaros terras perfindere rastris;
Agricolasq; boueis plaustris domitare sonoris:
Nanq; errant nemorum per dumos more ferarum.
Quos prope tenduntur fines Carthaginis altæ:
Perpetuas Tyriis celebrat quæ condita laudeis:
Quà regnans felix Dido per secula viuit,
Atq; pudicitiam non perdit carmine falso.
Hanc minor insequitur Syrtis, maiorq; secunda:
Quà tumor immensus Tyrrheni pellitur æstus:
Accessusq; furit, siccisq; recessus arenis.
Ast inter Syrteis vrbs est, quam nomine dicunt
Esse Nean polin: hanc supra iustissima fertur
Hospitiis gaudens gens degere Lothophagorum.
Hos licet ad fineis desertas cernere terras
Extinctis populis Nasamonum marte Latino.
Asbystæ post hos terrarum rura tenentes
In medio: summus Libycis & gentibus Hammon:
Nec non Cyrene clarorum mater equorum:
Vrbis Amyclææ populus quam condidit olim.

Marma-

Marmaridæ post hos Aegypti ad flumina vertunt:
Gætuliq́s super sunt, viciniq́s Nigretes.
Continuò post hos sequitur Phauruſia tellus.
Hanc habitant iuxta Garamantes Debride clari:
Quæ superat cunctas vrbs miro munere fontis,
Frigore qui noctis feruet calefactus & vmbris,
At solis friget radiis glacialis & igni,
Omnibus extrema populis clauduntur in ora
AEthiopes: Libyes vbi finit littora Cerne,
Oceanum nimio quæ pulsat sole cadentem.
Nec longè feruent Blemyorum collibus agri.
Hinc fluuii pinguis descendunt flumina Nili.
Partibus à Libycis qui currens solis ad ortus,
Siris ab Aethiopum populis cognomine fertur:
Versum cultores Nilum dixere Syenes.
Hinc boreæ currens ad parteis flumine pingui,
Fertilis Aegypti terras fecundat opimas,
Septenoq́s ferit Pellæum gurgite pontum:
Non alius tantum fluuiorum ditat arenas,
Atq́s trahens limum complectitur vbere campos.
Hic latis Libyen Asiæ disterminat oris:
Hæc ortus cernit, videt austros ille calenteis.
Hunc habitans iuxta sapientum corda virorum,

Dispo-

Dispoſuere vias qui vitæ mente potenti:
Et primi dederant ſulcos & ſemina terris,
Obliquos ſolis tractantes pectore curſus.
Horum telluris fineis nunc carmine dicam,
Et formam, celebrat quam gloria magna per orbem.
Hæc igitur latis diffuſa pateſcit in aruis
Fertilis, & ſuperans alias pinguedine glebæ:
Marginibus laterum formatur at vndiq; ternis:
Lata quidem boreæ ſub littore tenditur oris:
Aſt ortus anguſta petit ſummamq; Syenem;
Quà celſi mediam montes vtrinq; coercent:
Irrigui per quam deſcendunt flumina Nili.
Hanc habitant homines multi, pariterq; opulenti.
Qui veteris claraq; colunt ſub mœnia Thebes,
Quam perhibent centum portas habuiſſe priores;
Filius Auroræ Memnon qua regna tenebat.
Hic ſunt & ſeptem mediis in finibus vrbes,
Quas celebrat totum diſcurrens fama per orbem.
Et quicunq; maris viuunt prope littora vaſti,
Quà lacus eſt ingens liquidæ Serbonidis vndæ.
Ad cuius Zephyrum Macetûm ſunt mœnia regis:
Et Pharos Idothees ſcopuli Pallenidis alti.
Pòſt vrbs ſub Caſio Pelluſi vergit ad ortum:

Naui-

Nauigiis populus duris quam poſsidet aptus.
Non tamen eſt Libyes ponendus finibus iſte:
Scilicet eoas Nili qui continet oras,
Nili, quem circum floret mirabilis arbor,
Extinguitq; ſitim pomo cui nomen adipſos.
Hæc facies Libyes: hic claudit terminus illam.
Sunt tamen huic aliæ gentes: quæ littore ſummo
Tethyos, aut mediis habitant telluris in aruis,
Et gratas circum ripas Tritonidis vndæ:
Hîc lapis Heliotropius qui nomine vero
Dicitur eſt: vertit radios nam ſolis in vnda,
Siquis eum fuſa labris immergat aënis,
Sanguineaq; rubens reſplendet luce coloris.
Purior at ſoli renitet nudatus ab vndis.
Si placet Europes quoq; me tibi dicere formam,
Haud taceam. ſimilis Libyæ eſt: ſed vergit ad arctos:
Finibus & pariter diſtentis pergit ad ortus.
Linea namq; Aſiæ ſimilis diſiungit vtranque.
Hæc notias ſpectat parteis: aquilonis at illa.
Aſt ambas vnam ſi terras eſſe putemus,
Aſſimulent conum laterum compagibus æquis:
Cuius ad occaſus eſt ſummum, lata ſub ortu.
Sic Europa tibi facili dignoſcitur arte.

Ad cuius ſummum, prope metas Herculis alti,
Magnanimæ gentes, dederat queis nomen Iberus,
Ad ſpacium multum terrarum rura colentes,
Oceanum boreo contingunt frigore durum:
Scrutanturq́ decus pulchrum ſapientibus auri.
Quos tamen haud maculat præſens, nec deiicit abſens.
Quæ ſunt Germani bellaces, atq́ Britanni.
Saltibus Hercyniis Germania ſubiacet atrox:
Hæc tergo ſimilis taurino dicitur eſſe.
Et paſcit volucres, mirum, fulgentibus alis,
Queis ducibus noctu cernuntur flexa viarum.
Pyrrhenes ſequitur mons. poſt hunc Celtica tellus,
Eridani fontis contingens rauca fluenta:
Hìc Phaëthonta ſuum carę luxere ſorores:
Hìc electra legunt alnis ſtillantia Celtæ,
Succina quæ memorant, mellis vinive colore; Sŭccina
Quæ paleas rapiunt tractu, frondeisq́ caducas.
Poſt hos Tyrrheni. quos iuxta ſolis ab ortu
Incipiunt Alpes: quibus exit gurgite vaſto qŭibŭs
Oceani rumpens glacialis littora Rhenus.
Hunc prope conſurgit fons Iſtri flumine longo:
Qui poſcens ortus Euxini peruenit vndas,
Irriguam Peucen amplexus gurgite quino.

Cuius

Cuius in arctoas est parteis barbara tellus,
Innumeras genteis gremio complexa reducto,
Cui finem faciunt Mæotidis ostia vastæ.
Hic sunt Germaniq́ truces, & Sarmata bellax,
Atq́ Getæ, nec non Bastarnæ semina gentis,
Dacorumq́ manus, & martia pectora Alani,
Atq́ dromon Tauri retinentes fortis Achilli,
Angustum, & longum, Mæotidis ostia iuxta.
Hos equites supra celeres funduntur Alani,
Atq́ Melanchlænûm populus, metuendus in arcu.
Pòst Hippemolgi sunt, Hippopodesq́ potentes,
Atq́ Geloni cum Neuris, pictiq́ Agathyrsi:
Hìc vbi descendit porrecta Borysthenis vnda,
Euxinumq́ subit Criu prope tracta metopon.
E regione iacet locus hìc Simplegados arctæ.
Hìc sunt Aldesci quoq́, Panticapiq́ fluenta:
Diuidui currunt Riphæis montibus ambo.
Immiscent quâ se ponti glacialibus vndis,
Nascitur electrum præfulgens luce nitenti,
Mense solet primo qualis splendescere luna.
Hos adamanta legunt iuxta fortes Agathyrsi.
Tot dirimit genteis aquilonis partibus Ister.
Huius ad australes terras, Gerræq́ feroces,

Noriciiq́ colunt bellaces, Pannoniiq́,
Et Myſi Thracum boreis in finibus orti:
In quorum terris, quas ponti præfluit vnda,
Ignipotens oleo commiſto gignitur herba,
Medica cui nomen: cuius compeſcere flammas
Si quis aqua cupiat, plus ignem paſcit in illa:
Pulueris hunc iactus potis eſt extinguere ſolus.
Thraces arant poſt hos latiſſima rura tenentes:
Quæ torrens ſtringit finitq́ Propontidis vnda,
Atq́ Helleſponti fauces, AEgeus & altus.
Naſcitur hìc ſcopulis Pallenæ gemma refulgens,
Aſterium perhibent: ſtellis certare putatur:
Et flammæ ſimilis ſplendenti lumine lychnis.
Hi ripas Iſtri porrectas vndiq́ cingunt.
Europæ reliquas nunc parteis aſpice ternas,
Phœbæos vergens quibus eminet illa ſub ortus.
Prima eſt Hiſpanum quæ frangit littore pontum,
Altera Tyrrhenum quæ pulſat molibus æquor,
Tertia quæ Graios circumflua gurgite paſcit.
Sed tamen oceanum contingit Iberica tellus
Occiduum: Calpen quà ſummam ſuſtinet, vnam
Herculis è ſtatuis: quam ſupra diues & alta
Tarteſſus; Cempſiq́, ſedent qui collibus imis

Pyrrhe-

Pyrrhenes, cælum qui tangit vertice ſummo.
Aſt ambas inter tellus iacet Auſonidarum:
Limite quam recto mediam ſecat Apenninus.
Qui mons, incipiens boreis ex Alpibus altus,
In freta Sicaniæ porrectas terminat oras.
Hunc vrbes circum, populi, gentesq́, frequentant:
Quos breuiter retegam noſtro tibi carmine cunctos.
Tyrrheni primùm fortes. iuxtaq́, Pelaſgi:
Cyllenes quondam propria qui ſede relicta,
Tyrrhenis ſocias petierunt nauibus arceis.
Hos prope ſunt omni ſuperantes laude Latini.
Quorum per terras decurrit in æquora Thybris
Regius, irriguo dirimit qui gurgite Romam:
Romam, quæ genitrix regum dominatur in orbem.
Poſt hos pingue ſolum ſequitur Campania diues.
Hìc vbi Parthenopes domus eſt caſtiſſima, frugum
Fertilis: hanc pontus propriis exceperat vndis.
Ad noton eſt, longè ſupra Sirenida rupem,
Picentis Silari gurges ſpectabile flumen.
Hunc habitant prope Lucani, Brettiq́, coloni,
Ad Leucen petram longiſſima rura tenentes.
Hinc eſt ad boream zephyri quæ ſumma vocatur:
Sub qua ſunt Locri celeres, qui tempore priſco

Illuc reginam propriam venere ſecuti:
Auſoniamq; tenent quà currit flumen Alecis.
Mœnia cernuntur Metaponti deinde, Crotonq;
Quam pulcher gratam præterfluit AEſarus vrbem.
Vlteriùs pergens hinc templa Lacinia cernes.
Poſt hæc eſt Sybaris, periit quæ numinis ira
Præponens hominum tumulos cæleſtibus aris:
Ponere qui priſcis auſi certamina ſoli.
(Samniteis medio complectitur Itala tellus
In gremio: Marſosq; ſimul.) tunc deinde Tarentum
Tangitur æquoribus, quod muniuere Lacones.
Continuò Calabræ telluris rura ſequuntur.
Vſq; Hyrii ſummam ſed tendit Iapygis ora:
Quà ſalis Adriaci trahitur vaſtiſſimus æſtus,
Atq; ſinum penetrans Aquileium colligit vndas.
Alta Tegeſtræon poſtremæ mœnia terræ,
Quà ſinus Ionius finitur gurgite laſſo.
Hi ſunt Auſoniæ populi gentesq; potentes.
Flexilis hinc pontus conuertens vergit ad ortus,
Atq; Liburnorum terras, Hylleisq;, feroceis,
Bulimeon pariter præſtringens littora currit:
Et venit Illyrias latè porrectus ad arceis:
Quà tollunt monteis excelſa Ceraunia ſummos.

Cerni-

Cernitur hìc tumulus, qui Cadmi dicitur esse
Harmoniæq; simul: nanq; hìc serpentibus illi
Corpora post tempus longum mutasse feruntur,
Insenio: postquam patriam Thebasq; relinquunt.
Hìc illos aliud posuerunt numina monstrum:
Nanq; duo tumuli concurrunt peste futura,
Significant quoties sæuissima damna colonis.
Hæc regio fontem mirandæ concipit undæ,
Quem merito veteres dixerunt nomine sacrum.
Nam gelidus superat cunctarum frigus aquarum:
Accensasq; faceis si quis prope duxerit undam,
Extinguit flammas: recipit sed rursus easdem,
Admoueat dextra cùm extinctam lampada fonti.
Sed supra Thracen, nec non Epiron: ad austros,
Principium terræ doctissima Græcia sumit:
Ascendens multum, geminatoq; æquore cincta,
AEgæo Siculoq;: mouent quæ flamine venti
Diuerso: Siculum zephyrus tenet. eurus at altum
AEgæum. Sequitur Pelopis pòst insula lata:
Consimilis platani folio: quod muris acutam
AEquiparat caudam: cuius iacet Isthmos imago,
Hellados ad boream sibimet confinia iungens:
Latior at tellus, folium ceu flexile, circum

Cingi-

Cingitur æquoribus. zephyrumq; Triphyllidis arua
Excipiunt: per quam descendit flumine pulchro
Alphæus: qui Messeni discinditur vndis
Eurotæ: terris ambo nascuntur Afeis:
Hìc tamen Eleos, & diuidit ille Laconas.
Hìc mediis habitant latè telluris in aruis
Arcades Apidanei, sub scopulis Erymanthi:
Quà Melas, atq; Crathis fluuii, quà currit Iaon,
Tenditur atq; vetus quà longo gurgite Ladon.
Hìc merulos perhibent albos, mirabile dictu:
Hìc nasci lapidem, qui tacto accensus ab igni
Extingui nequitur: quem Graii nomine vero
Asbestum memorant. ferri nitet ille colore.
Iuxtà est Argiuûm tellus, pariterq; Laconum:
Ortus Argiui, verguntq; Lacones ad austros.
Aequoribus geminis Isthmos pulsatur vtrinq;:
Hoc Ephyren contra, zephyrus sed verberat; illud
Eurus, in immensum quæ mergitur vnda profundum,
Nomine quam Danaï dixere Saronida prisco.
Attica sed tellus post Isthmum solis ad ortum est.
Hinc Orithyiam Boreas rapuisse puellam
Traditur. hìc Illissos aquis deuoluitur amnis.
Bœotûm sequitur finis, quo dicitur vnda

Esse

Esse potestatis diuersæ. namq; duobus
Fluminibus mutat veruecum lana colorem:
Hoc fuscat niueas; hoc albat gurgite nigras.
Locridis inde solum sequitur regionis, & ora
Thessalis, & tellus Macetûm cum mœnibus altis:
Sub cuius scopulis, tangentes vertice cælum,
Speluncæ veteris seruant insignia cladis:
Finibus in mediis terrarum nanq; videntur
Ostrea muricibus siccata latentibus esse:
Diluuium latebras dederat quod piscibus illas.
Concipit & parit hìc naturæ munere gemma,
Quam pæaniten perhibent, prægnantibus ista
Auxilium confert, facilis releuamine partus.
Cernitur h ic, niueas attollens vertice rupeis,
AEmus Threïcius, quem contra tenditur agris
Ad zephyrum regio Dodones lata feracis.
Ad cuius notias parteis, sub rupe Aracynthi,
AEtolæ gentis sunt belli laude potentis
Campi: quos medios Acheloia persecat vnda,
Et mare Trinacrium perrumpit Echinadas inter.
Regna Chephallenæ propè sunt sapientis Vlyssi.
Ista Galactiten ripis ostendit in altis:
Vberibus prodest, nec non infantibus idem:

Et ſi quis terat hunc albeſcit lacte liqueſcens.
Hunc fluuium iuxta, præclaros ſolis ad ortus,
Phocis ad arctoos ventos extenditur ingens,
Donec contingat calida oſtia Thermopylarum,
Sub iuga Parnaſſi: Cephiſos gurgite magno
Quam mediam dirimit, deſcendens murmure vaſto.
Quà templum Phœbi memorabile, Delphica ſedes.
Nunc magno nobis ſunt inſulæ ore canendæ,
Quas homines toto diſperſas æquore cernunt.
Eſt igitur ponto tellus circumflua prima,
Cui nomen Gadis. ſtatuas hæc Herculis inter
A Tyriis colitur, Cotinuſa vocata vetuſtis.
Continuoq; iacent Gymneſiæ: has Baleares
Romani memorant. hinc frangitur æquor Ebuſo.
Sardiniæ poſt quam pelago circumflua tellus
Fontibus è liquidis præbet miracula mundo:
Quòd ſanant oculis ægros: damnantq; nefando
Periuros furto, quos tacto flumine cæcant.
Poſt quam non longè cernuntur littora Cyrni:
Corſida quam pariter, geminato nomine, dicunt.
Hanc ſolam perhibent catochiten gignere terram.
Corporibus lapis hic, ceu glutine, tactus adhæret.
Nulla tamen tellus altiſſima robora ſylvæ

Sic ali-

Sic alibi generat. dehinc rupes AEolidarum:
Quas ſeptem numero perhibent cognomine Plotas,
Quippe viam ratibus pelago dant vndiq; vaſto.
Trinacriæ poſt has moles diſtenditur ampla:
Cardinibus ternis laterum quam terminat actus:
Procurrens Pachyno longè, caſtriſq; Pelori,
Exterrensq; rateis Lilybæi cautibus aſpris.
Eminet ad zephyrum Lilybe, Pachynusq; ſub ortum:
Aſpicit Auſoniam, boreæq; Pelorus ad axeis.
Quà mare vix ſuperant haud æquum mille periclis,
Anguſtum, rapido quod frangit gurgite ſaxa.
Traditur hîc pelagi diruptas viribus olim
Excepiſſe freturn terras, cogente ruina.
Plurima ſunt iſtic totum memoranda per orbem.
Dianas fons eſt, Camerina gignitur vnda:
Quem ſi quis manibus non caſtis hauſerit vnquam,
Lætifico triſtis non miſcet pocula Baccho.
Hæc eadem montem mirandum ſuſtinet AEtnam:
Vertice qui ſummo rigida niue temperat ignem,
Nec ſuperant flammæ frigus, nec frigora flammas.
At ſalis hic Acragas miracula poſſidet unus,
Naturas in quo proprias mutare videntur
Ignis & vnda: ſalem nanq; illum ſoluere flammæ,

Vnda ſolet crepitus illi coniuncta mouere.
Hìc & Haleſinus fons eſt, mitiſſimus vndis:
Tibia quem extollit. cantu ſaltare putatur
Muſicus, & ripis lætans excurrere plenis.
Cernitur egregius lapis hìc, cui nomen Achates:
Hoc dederat fluuius cuius generatur ad vndas:
Hanc ſimulachra vides venis oſtendere gemmam.
Aequoris at Siculi, quod vaſtis funditur vndis,
Ad noton, eſt pontus Libyæ, Syrtisq; vadoſa
Maior: at vlteriùs ſi pergas, cerne minorem
Occiduam: iuxta quam Meninx inſula fulget,
Et Cernina ſimul, Libyca ſtatione patentes.
Adria quà penetrat venias ſi parte ſiniſtra,
Atq; legas Calabrum littus; tunc inſula magni
Oſtendet ſeſe Diomedis nomine dicta:
Quò profugus quondam victor conceſſerat ille,
Coniugis inceſtæ per fraudeis AEgialeæ.
Ionium pergens Abſyrtidas æquor ad ortus
Circuit: has olim Colchi tenuere feroces,
Laſſi dum fruſtrà Medeæ furta ſequuntur.
Continuò poſt haſce Liburnidas aſpicis altas.
Ad notias parteis hinc, ſæua Ceraunia nautis
Inſulæ Ambraciæ contrà cernuntur in alto.

Et Cor-

Et Corcyra potens: Ithaces atq; aspera tellus:
Et quas oblimat riuis Acheloius amnis,
Flumine torrenti præcelsam Chalcida linquens.
Sed multæ Amnisi boreæ sub parte videntur.
AEgylaq;, inde Cythera, Calauria dura colonis:
Ad radios vergit sed Carpathus: hanc prope Crete
Pinguis, & vmbrosis extendens collibus Iden,
Ante ortus solis perhibent quam fulgere sole.
Gignitur hìc alimos: quam si quis mordeat herbam,
Compescit damnumq; famis rabiemq; diurnam.
At Rhodos AEgyptum contra iacet, insula diues, A.
Sumiados contra quoq; summum rupis, ~~ad ortus~~ Abantas F.
Nubila qua nunquam vetuerunt lumina solis: B.
Nam purus carę potitur telluris. ~~Abantas~~ ad ortus C.
Supra sunt Salamis, nec non AEgina. sed ortus G.
Cernentem Cyprum pontus Pamphylius ambit. H.
Posthæc sunt ternæ citra Patareida summam, D.
Fama Chelidonias celebrat quas nomine terras. E.
Nec procul est Aridos, Phœnices æquore cincta I.
AEgæi verò diuersis partibus alti,
Ad fauceis ~~arctas~~ arctas, multæ sunt insulæ, Abydi.
Confines Asiæ dextræ: Europesq; sinistræ:
Ad boream tamen hæ pertendunt ordine longo.

Europes Macris agnoscit Abantius oram,
Et celsa Scyrus, Peparethus, sacraq; Lemnos,
Fertilis atq; Thasos, simul Imbros, pòst Corybantum
Mœnibus antiquis Samothracia cernitur alta.
Ast Asiæ partem quæ tangunt æquore primæ,
Delon circundant: has dicunt Cycladas esse.
Continuò Sporadas ceu stellas aspicis almas,
Ioniasq; simul: quas inter Caunus, & altæ
Sunt Samos, atq; Chios, celebratæ nomine claro.
AEolicæ pòst, & Lesbus, Tenedusq; sequuntur.
Et sinus inde Melas Helles prorumpit in æquor,
Panditur hinc pelagus, tumidaq; Propontide feruet
Ad boream: saxisq; viget Proconesus in illa.
Est etiam læuis Euxini partibus vna,
Quam Leucen perhibent, aduersa Borysthenis amni,
Pascit aueis quoniam multas candore niuali.
Hìc animas perhibent Heroum, laude potenteis,
Degere securas, virtutis munere pulchro.
Cimmerium rectà sed siquis Bosporon ibit,
Cernitur huic dextra vastæ Mæotidis vnda
Insula, mole graui stans Alopecea lata.
Post quam Phanagoren Hermonassamq; nepotes
Egregiæ quondam coluerunt gentis Ionum.

Insulæ

Insulæ hæ celebres pelagi sunt nomine claro.
Ast alias refluum circundat Tethyos æquor:
Quarum demonstrem positum regionis, & oras,
AEthiopes habitant Erythiam pectore iusti,
Atlantem iuxta longæui. finibus olim
Venit Hyperboreis quæ gens, post fata perempti
Geryonis, domuit quem virtus Herculis ingens.
Sed summam contra sacram, cognomine dicunt
Quam caput Europæ, sunt stanni pondere plenæ
Hesperides. populus tenuit quas fortis Iberi.
Ast aliæ Oceani iuxta Boreotidas actas
Sunt geminæ, Rheniq́, Britannides, ostia cernunt:
Hìc etenim lasso perrumpit Tethya cursu.
Has tamen haud valeat spatio superare per orbem
Insula. perfulget nigro splendore Gagates
Hìc lapis, ardescens haustu perfusus aquarum:
Ast oleo perdens flammas mirabile visu:
Attritus rapit hic teneras, ceu sucina frondeis.
Nec spatio distant Nesidum littora longè:
In quibus vxores Amnitum Bacchica sacra
Concelebrant, hederæ foliis tectæq́ corymbis.
Oceani tranans hìc nauibus æquor apertum,
Ad Thulen venies: quæ nocte dieq́ relucet

Tita-

Titanis radiis, cùm curru ſcandit ad axeis
Signiferi, boreas ſuccedens lampade parteis.
At nauem pelago flectenti aquilonis ab oris
Ad ſolem calido referentem lumen ab ortu,
Aurea ſpectetur tibi pinguibus inſula glebis.
Hinc tepidos proram conuertens nauis ad auſtros,
Taprobanem venies: generat quæ magna elephantes,
Per ſineis Aſiæ: iacet hæc ſub ſidere Cancri.
Littoribus cuius ſaliunt denſiſſima cete,
Quæ paſcit vaſtum Mare rubrum, montibus æqua:
Tenditur horribilis quorum per terga, per armos
Spina, ferens cladem fatumq́, ſub ore feroci:
Quippe ſolent pariter nauem ſorbere virosq́.
Nam mala tam pelagus quàm terra merētibus offert.
Vlterius pergas ſi poſt Carmanida ſummam,
Ogyris occurrat quà dicitur eſſe ſepulchrum
Regis Erythræi: dederat qui nomina ponto.
Perſicus inde ſinus penetratur, & Icaron offert:
Inſula quæ fertur nimium placare Dianam.
Tot ſunt ingentes, quas claudit Tethyos vnda,
Inſulæ: aſt aliæ diuerſis partibus orbis
Diſperſæ plures, famam latuêre, minores:
Duris difficiles nautis, vel portubus aptæ:

Qua-

Quarum non facile est mihi promere nomina versu.
Ast Asiæ fines ambarum linea monstrat,
Et formam, contra positarum in imagine coni.
Paulatim trahitur tamen hæc orientis ad oras:
Oceanus statuas Bacchi quà tangere fertur,
Finibus Indorum postremis. gurgite torrens
Quà Ganges liquido Nyssæos irrigat agros.
Non tamen est spatio similis telluris apertæ.
Scilicet ambabus penetrabilis vnus in illis
Funditur Oceani sinus, & disterminat ambas:
Ast Asiæ gremio triplex mare confluit vndis:
Hyrcanum pariter, Parthum simul, atq; Sabæum,
Hæc noton, at boreos Hyrcanum vergit ad axeis,
Gurgitis Euxini vicinum: multa virorum
Millia quod circum degunt, per littora Ponti.
Amborum medius campis distenditur Isthmos.
Ast Asiam qui mons excelsus diuidit omnem,
Incipit à mediis terræ Pamphylidis oris,
Et longis sese spatiis producit ad Indos:
Nunc obliqua means, nunc recto limite currens:
Vertice quem toruo perhibent cognomine Taurum,
Cornua nam summus scopulis imitatur acutis,
Multifidusq; suos colles huc spargit & illuc

Ex hoc innumeri descendunt fontibus amnes:
In parteis euri, zephyri, boreæq́, vel austri.
Quis memorare queat fluuiorum nomina cuncta?
Non tamen est vnum montis cognomen vbiq́,
Sed varii flexus variantur nomine multo:
Singula sed propriis sunt nomina nota colonis.
Nunc igitur genteis illum populosq́ tenenteis,
Qui celebres, memorem, sed felix numen adesto.
Mæotæ primi tangunt Mæotidis vndas,
Sauromataq́ truces: gens aspera Martis in armis:
Sanguis Amazonidum fortis quos protulit olim,
Sauromatis mixtæ quæ, Thermodonte relicto,
Ingenteis genuere viros, belloq́ potenteis:
Innumeras habitant qui siluas, gurgite vasto
Inter quas Tanais Mæotidis intima pulsat,
Europen fluuio dirimens Asiamq́ reflexo:
Europen zephyris, Asiam sub partibus ortus.
Caucasiis exit cuius fons montibus altis,
Murmure cum vasto Scythiæ per plana refusus.
Hunc tamen, immenso torrentem flumine, vertit
In glaciem boreas horrendo flamine sæuus.
Heu miseros homines, habitant qui finibus illis,
Aëre damnati tristi nimioq́ rigore,

Quo

Quo pereunt pecudes pariter, populiq; virorum,
Ni properè linquant sua rura furentibus curis.
Hi Tanain habitant fluuium prope Sauromatarum.
Cui sunt vicini Sindi, quoq;, Cimmeriiq;.
Post hos Cercetii: iuxta quos Axenus altis
Fluctuat æquoribus: nec non Oretæq; feroces:
Et qui Troiana post prælia gentis Achæi
Ascalaphi regis victricia signa sequentes,
Dispulsi ventis istas venere sub oras.
Post hos Eniochi, genuit quos Græcia tellus:
Et Zygii iuxtà viuunt regione sub vna.
Intima sed ponti, post fineis Tyndaridarum,
AEgypto missi Colchi tenuere coloni:
Caucasii montis prope collem, & Caspia ponti
Littora: quà celeres descendunt Phasidos vndæ,
Circæosq; secant campos atq; æquora ponti:
Nascitur Armenii fluuius qui vertice montis.
Ad cuius parteis boreas, & solis ad ortus,
Euxinum dirimens & Caspia littora latè,
Diffusus spatium per longum panditur Isthmos.
Quem iuxta terras habitant orientis Iberes:
Pyrrhenes quondam celso qui monte relicto,
Huc aduenerunt Hyrcanis bella ferentes.

Hìc Camaritarum gens eſt, cariſsima Baccho.
Fluctibus hanc propter perſæuit Caſpius æſtus:
Vndiq; quem tereti concludit margine tellus.
Sed mare non valeat tribus illud menſibus vlla,
Scilicet immenſum, nauis tranſire profundo.
Hoc tamen exacuit pars vna ſub axibus æquor,
Quà tractum refugæ miſcetur Tethyos vndæ.
Multa quidem generat viuis miracula rerum:
Sed tamen egregio cryſtalli pondere gemmam,
Atq; , malos lemures quod pellit munus, Iaſpin:
Nocturni manes fugitant quam membra tuentem.
Hoc igitur pelagus quæ gentes vndiq; cingunt
Incipiens numerem primis aquilonis ab oris,
Quæ vergunt zephyro, quas Caſpia littora claudunt.
Primi ſunt Scythiæ populi, Saturnia iuxta
Aequora viuentes, Hyrcaniq; oſtia ponti.
Quos ſupra gryphes ditiſsima rura ſmaragdo,
Qualem non alius terrarum poſsidet orbis:
Atq; aurum ſibimet defendunt pondere puro.
Omnia ſed duri ſuperans audacia lucri,
Aduerſus volucres heu commouet arma virorum:
Prælia nam faciunt Arimaſpi gryphibus hoſtes.
Hìc & cryſtalli perlucet maxima moles.

Hinc

Hinc Vnnus sequitur. pòst sortis Caspia proles.
Hinc sunt Albani bellaces marte feroci:
Vnde canes nati superant genus omne ferarum.
Magnus Alexander missum sibi viderat inde
Victorem barriq; canem, rapidiq; leonis.
Post hos Caduśi durißima rura colentes.
Et propè sunt Mardi. sequiturq; Hyrcania plebes.
Hinc Apyri: per quos Mardus deuoluitur amnis:
Dercebius bibit hunc præter Bactrusq; fluentem,
Per quos Hyrcanum currens descendit in æquor.
Sed Bactri mediis habitant telluris in aruis,
Parnessum latè prope montem rura tenentes:
Dercebii verò sub Caspia littora vergunt.
Post hos Massagetæ trans flumen Araxis, ad ortum,
Hospitibus sæui cunctis, belloq; feroces:
Non Bacchi donum, Cereris nec munera norunt:
Sed lac commixtum potant cum sanguine equino.
Hos iuxta boream vergit Chorasmia proles.
Sugdias hanc sequitur: rapidus quam diuidit Oxus,
Emodum montem qui linquens Caspida rumpit.
Inde Sacæ nimium certis gens mira sagittis
Flumen Ioxartem iuxta quibus arua coluntur.
Et Tochari, Phruriq;, & plurima milia Serum.

Illis nulla boum, pecoris nec pascua curæ:
Vestibus vtuntur, texunt quas floribus ipsi,
Quos tenuant lectos desertis finibus ipsi.
Ast alia Scythiæ gens est extrema per arua.
Quos prope sunt tristes ventis & frigore terræ:
Nanq; niues semper pulsant has grandine mixtæ.
Caspius his populis lustratur pontus & oris.
Aspice post Colchos nunc & post Phasidis vndas,
Occasum versus, populos in littore ponti
Euxini densos vsq; ad Chalcedonis arua:
Bosporus angustat scopulis quæ Thracius vrgens.
Buzeres primi. quos iuxta terra Vechirum.
Macrones post hos pariter, Phyliresq; sequuntur:
Mossyniq;, domos præbent queis lignea tecta:
Turribus arboreis habitantes vnde vocantur.
Hinc pecorum diues nimium gens est Tibarenum.
Hanc prope sunt Chalybes, durissima rura colentes:
Quos labor exercet sæuus ferriq; metalla.
Vicinos istis campos terramq; patentem
Assyrii complent populi: quà gurgite vasto
Inter Amazonidas Thermodon martius amnis,
Armenium linquens montem, descendit in æquor.
Huc Asiæ quondam deuenit alumna Sinope:

Ex qua

Ex qua cognomen ceperunt mœnia clara.
Illius fluuii gelidas prope frigore ripas
Inuenies lapidem cryſtalli, pondere puro,
Conſimilemq; gelu, nec non ſplendore nitenti,
Gemma micans illic perlucet Iaſpidis albæ.
Iris continuò liquidus decurrit in æquor.
Pòſt Halys eſt fluuius: boreæ qui currit in oras,
Atq; Carambidis irrumpit prope littora pontum,
Armenis primas qui montibus accipit vndas.
Paphlagones poſt hos, Maryandiniq; ſequuntur,
Bithyniq; viri, pinguiſſima rura colentes:
Quà Rhebas pulcer gratiſſima flumina voluit,
Rhebas, qui rapidi decurrit ad oſtia Ponti.
Tot populi terras habitant per littora Ponti:
Nam prius expoſita Scythiæ ſunt ſemina gentis.
Nunc Aſiæ regio contingens littora vobis
Dicatur: parteis calidas quæ currit ad auſtri,
Atq; Helleſpontum tranſit Syriæq; receſſus,
Poſcit & Arabiam quæ florent vbere terræ.
Sunt Chalcedonii primi poſt oſtia Ponti,
Mœnia Byzantis qui cernunt optima contra,
Romanisq; piè regnis dominantia mundo.
Bebrycii poſt hos, & Myſia montibus alta,

Quà

Quà Cius egregia decurrens murmurat vnda:
Quà nymphas comitem perhibent rapuisse potentis
Alcidæ puerum, tristissima fata gementis.
Hinc Hellespontum pertenditur angulus ingens,
Quà breuior Phrygiæ pars est: nam latior intus
Sangarii ripis fluuii vicina rapacis.
Tenditur hæc potiùs Titanis pinguis ad ortus:
Altera ad occasus, altæ sub montibus Idæ,
Altaq; quà cecidit præclaro nomine Troia,
Ad Xanthi liquidas nec non Simoentis ad vndas.
Post hæc AEoliæ tellus prætenditur oræ,
Fluctibus AEgæi primis quæ tunditur alti.
Inde tenet terras, pelagus prope, sanguis Ionum:
Per quas Mæander pinguis descendit in æquor,
Inter Miletum currens latamq; Prienem.
Ad latus istorum boreum sunt mœnia clara:
Vrbs Ephesus, claudit quam grato littore pontus.
Post has Mæoniæ tellus: quæ vergit ad ortus.
Et Tmoli colles, fluuius quibus aurifer exit
Pactolus: cuius prope ripas tempore verno
Si sedeas, dulci capiaris pectora cantu
Cygnorum, pascunt quos herbæ flumina circum.
Nam florent Asiæ per campos plurima prata:

Sed

Sed magis ad fluuium Mæandri, gurgite miti
Quem iuxta voluens se murmurat vnda Cayſtri.
Poſt hos ſunt Lycii: quos Xanthus diuidit amnis,
Ad mare vergenteis: qui Tauri cornua cernunt,
Vſq; ad Pamphylos, perhibent quem nomine Cragum.
Illic aſpicies Aſpendum: mœnia cuius
Eurymedon amnis radit vicina profundo.
Continuoq; iacent aliæ Pamphylides vrbes:
Corycus, Pergeq; calens, & celſa Phaſelis.
Hos ſupra mediis habitant telluris in aruis,
Ad parteis ortus, gens durus Lycaonis armis.
Poſt has Piſidum pinguißima rura coluntur:
Telmeſſus, Lyrbe, nec non clariſſima Selge,
Gentis Amyclææ pulcherrima mœnia quondam.
Hinc ſinus eſt longus Cilicum, qui vergit ad ortus,
Euxini penetrans vicinas æquoris vndas.
Hunc Aſiæ perhibent anguſtis partibus eſſe:
Cui tamen immenſo fluuii ſe gurgite miſcent.
Per longum Pyramus ſpatium, Pinarusq; voluti,
Flexilis & Cydnus, dirimit qui flumine Tarſon.
Hinc aliæ Cilicum ſunt celſis mœnibus vrbes:
Lyrneſſus, Malosq; ſimul vicina profundo,
Atq; ſoli medio terrarum fine locati.

Commagena dehinc regio, Syriaq; sequuntur
Vrbes, dispositæ per longi littora flexus.
Nam Casii montis qua prominet ora per æquor,
Vergit in occasus diffusis tractibus vnda.
Nunc reliquas Asiæ parteis tibi carmine pandam,
Quadrati lateris qua clauditur vndiq; forma:
Et spatiis campos longis protendit in ortum.
Scis etenim memorasse tibi, quòd collibus altis
Per totam mediis mons ingens tenditur actu,
Qui fineis Asiæ nigros producit ad Indos:
Hoc est o laterum boreum tibi. Nilus ad oras
Hesperies finit. sed Tethys solis ab ortu
Indica concludit. Rubrum mare terminat austrum.
Aspice nunc igitur dum finem versibus ortus
Peruenio, retegens tibi veris omnia rebus,
Incipiens Syriæ terris, qua parte reliqui.
Quæ, pelagus supra, sub solem, vergit ad austros:
Vrbibus & multis habitatur: nomine prisco
Quæ caua vulgatur, mediam quia collibus altis
Atq; humilem Libanus claudit protentus in ortum,
Occasumq; petens Casius: multisq; virorum
Incolitur populis locupletibus alma diremptis.
Nanq; alii mediis habitant telluris in aruis,

Hosq;

Hosq; Syros propriè perhibent: sed littora iuxta
Phœnices viuunt, veteri cognomine dicti.
Quos misit quondam Mare rubrum laudibus auctos,
Chaldæo nimium decoratam sanguine gentem:
Arcanisq; Dei celebratam legibus vnam.
Qui pelagus primi tentantes nauibus altis,
Disiunctas genteis docuerunt iungere mercem:
Et primi stellis numeros, nomenq; dedere:
Atq; oculis (mirum) voces sentire figuris.
Hi muros Iopes, Gazan quoq; Elaida complent,
Antiquamq; Tyrum, Beryti & mœnia gratæ.
Vicinamq; mari Byblin, Sidonaq; pulcram,
Quam iuxta liquido Bostrenus gurgite currit:
Et pinguem Tripolin, nec non Orthosida sacram,
Laodicen pariter positam prope littus amœnum,
Et Posidi turreis, & Daphnes optima tempe.
Terrarum mediis Apameæ mœnia claræ:
Ad cuius parteis eoas currit Orontes,
Antiochi medius dirimit qui gurgite regna.
Hæc omnis pingui tellus est vbere læta,
Arboribus pariter pecoriq; & commoda viti.
Ad cuius fineis veniens quos terminat auster,
Arrabii cernes extremi littora ponti:

Qui Syriam medius disterminat Arrabiamq́,
Et tangit, vergens orientem versus Elanos.
Diues Arabs post quos latissima possidet arua,
Quæ protenta diu cinguntur ab æquore Perso,
Arrabioq́, ferit zephyrus quod flamine sæuo:
Persica nam flatus eoi littora turbant.
Ora sed hæc austro tendit subiecta per ortus,
Fluctibus Oceani pulsatur & vndiq; rubri.
Hanc quoq; describam tenui ratione recensens:
Nam populos pascit feliceis diuite terra,
Floribus & variis miracula præbet odoris.
Namq; thyo, myrrhaq; viget, cum thuris odore,
Et casia, nec non & cannæ dulcis odore:
Cinnama præterea iucundæ naribus auræ
Fertilis hæc generat tellus, auriq; metalla:
Vestibus auratis quare gens vtitur illa.
His, pueros seruans, Molochites splendet arenis:
Androdamasq́; lapis compescens pectoris iras.
Sed Libani montis sunt post decliuia primi,
Felices opibus, Nabatæi nomine dicti.
Chaulasii post hos atq; Agrees, inde propinquat
Chatramis, atq; Macæ contra sunt Persidis æquor:
Minnæiq; maris prope rubri littora viuunt:

Atq;

Atq; Sabæ post hos, nec non habitant Cletabeni,
Arrabiæ populi celebres hi nomine claro.
Sunt tamen & plures alii. nam maxima tellus
Trans istam, zephyri sub parteis, degit Erembum
Speluncis genus infelix, & rebus egenum.
Qui solis radiis nigrescunt corpus adusti,
Dispersiq; dolent lustrantes more ferarum:
Non Arabis similes opulentis. scilicet æqua
Omnibus esse potest nunquam fortuna bonorum.
Post Libani montes populi sunt, solis ad ortus,
Alterius Syriæ: quæ tendit aduscq; Sinopen.
Cappadoces mediis habitant in finibus huius:
Terminus Assyrios sed claudit Ponticus, illæ
Thermodon pelagi quà pulsat gurgite fluctus,
Cuius ab eoo decurrit limite vastis
Viribus Euphrates, descendens montibus aspris
Armeniæ, longusq; noton pertendit: & inde
Ad solem flexus, Babylonis diuidit vrbem:
Littora deinde ruens perrumpit Persidis vndæ,
Extrema fluuii sub parte Teredona radens.
Huius ad auroram ripis deuoluitur altis
Tigris, aqua superant quem flumina nulla rapaci.
Sed tantum distat, quantum vix septimus ortus

Consi-

Conficiat pedibus ſpatii properantibus ire.
Atq; lacu medius Thonites intrat, & exit:
Nec violatur aqua quamuis penetrabilis illa,
Ocyor atq; vadis emergens cedit amaris.
Hoc tamen omne ſolum fluuius quod cingit vterq;
Indigenæ populi pro re dixere Medamnam:
Quod medias amnes has terras flumine cingunt,
Agricolis pariter paſtoribus atq; feracem.
Vbere nam læto florent ibi ſemina cuncta,
Herbarumq; toris, & gramine læta vireſcunt:
Et variis rami complentur fructibus alti.
Gens quoq; præfulget claris in laudibus illa.
Nam peperit multos celſa virtute potenteis,
Atq; Deo ſimileis, licet vt mortalibus eſſe.
Armenii iuxta quam ſunt aquilonis ad axeis,
Comminus et fortes quos ſentit mars Matieni:
Quos prope concludunt Euphraten collibus altis
Montes, diuitiis pariter belloq; potenteis.
Ad parteis auſtri Babylon: quam mœnibus olim
Mirandis poſuit firmisq; Semiramis vrbem.
Cuius in arce domum ſplendentem fecerat auro:
Quam ſimul argentum variè decorauit, eburq;.
Hoc quoq; pingue ſolum palmarum diuite ſilua,

Quod

Quod fert berylli munus, pretiosius auro,
Berylli lapidem liquidum, glaucíq; coloris,
Per loca quæ tendunt Asianæ ad mœnia petræ.
At supra Babylona vides & flamina vasta
Cisses, Messabatasq;, Chalonitasq; feroceis.
Armenios montes si linquens ibis ad ortus,
Medica noscetur tibi tellus: cuius ad axeis
Geli sunt, Mardiq;, viri simul Atropateni.
Ad noton inde habitant Medorum rura tenentes.
Medea huc fugiens dederat cognomina terræ.
Hinc Medi varios vsus nouere veneni:
Quorum per multas spatium diffunditur oras.
Hæc generat Narcissiten oriente sub ipso,
Qui lapis est fuscus: complent hanc vndiq; siluæ.
Inter quas homines pecuaria ditia pascunt,
Caspiadas tangunt portas qui solis ab ortu:
Rupibus hæc celsis Asiæ sunt claustra potentis.
Quà via sub boream duplex se scindit & austrum:
Hæc regit ad Persas, Hyrcanos ducit at illa.
Sub colleis imos habitant, post Caspia claustra,
Martia gens Parthi, telis arcuq; potentes.
Viuere qui spoliis gaudent, raptuq; nefando:
Quapropter bellis homines vexantur in orbe,

Atq;

Atq; optata perit multo pax sanguine mundi,
Post hos est Persis, circundata montibus altis,
Assiduis florens regnis & diuete censu,
Ex quo perdomuit Lydorum mœnia Sardeis.
Cingitur excelsis hæc vndiq; collibus omnis,
Aduergens austros, post Caspia claustra: petensq;
Quod proprio pelagus celebrat cognomine latum.
Atq; tripartitis habitatur finibus illa.
Nanq; colunt alii, rigidæ sub partibus arcti,
Terras quas Medi nemorosis montibus vmbrant:
Ast alii mediæ viuunt regionis in aruis:
Littora postremi tangunt australia Persæ.
Prima parte Sabæ, mediusq; Pasargada, post hunc
Tascorum telis habitat gens fortis & arcu:
Quiq; tenent populi diuisos Persidis agros.
Amnibus hæc multis recreatur, & vbere pingui.
Hinc Coros immensus profunditur: inde Choaspis
Fonte cadens Indo, qui stringit gurgite Susas.
In cuius ripis præclarus fulget achates,
Pondere consimilis voluit quos vnda cylindris
Fertilis hæc tellus fœcundis pascitur auris:
Nam ventis semper floreſcunt rura secundis.
Hæc eadem gemmis nimium decoratur honestis,

Qua-

Quarum quis varias vireis qui nomina dicat?
Tecolithum memorem, iusto cognomine dictum,
Qui lapides rhenum tritus potusq́, resoluit.
Myrrhitemq́, bonum nardi cùm reddat odorem.
Hic Aëtites est: sonitum cui spiritus addit
Arcanum crepitans, prægnantibus vtilis ægris.
Nec non Pyrites, digitos qui strictus adurit.
Gemmaq́ quæ radios emittit candida solis.
Atq́ Selenites, lunaris imagine lucis
Qui decus & minuit proprii splendoris & auget.
Respice nunc reliquas Asiæ sub finibus oras.
Persidis ad pontum Carmani, solis ab ortu:
Littora pars habitant, mediæ pars limina terræ.
Gedrosi post hos tendunt orientis ad igneis,
Oceanum iuxta: radiis propioribus inde
Est Scithiæ tellus australis, flumen ad indum,
Qui ponto rapidus rubro contrarius exit:
Gurgite nam celeri rectus decurrit ad austrum,
Caucasiis oriens Orinum de montibus altis:
Diuidua cuius Patalene cingitur vnda.
Separat innumeras & vasto gurgite genteis
Ad parteis rapidi quà vergunt lumina solis,
Oritas, Aribasq́ simul, liniq́ Arachotas

Vtenteis lænis, & Satraidas ſimul omneis,
Parpanei montis ſub celſa rupe, Arienos
Nomine communi. qui terras vbere nullo
Florenteis habitant, ſquallent nam ſentibus aſpris:
Curalii lapidem qui rubrum littore carpunt,
Sapphiriq́ decus nigri flauiq́ coloris
Saxorum cædunt venis, hac merce beati.
Indorum terras hinc Tethyos æquora claudunt,
Quas primo Titan aſcendens lumine cernit.
Vnde color populis niger eſt flagrantibus ortu,
Atq́ gerunt ſimileis Hyacintho fronte capillos.
Effodiunt alii terras, auriq́ metallum:
Aſt alii texunt tenuiſſima tegmina lini:
Vel denteis ſtringunt elephantis ab ore reuulſos:
Scrutantur ripis alii torrentibus imbri
Berylli gemmas glauci, nitidumq́ adamanta,
Atq́ aura viridi legitur quæ ſplendet Iaſpis,
Curaliiq́ decus liquidi, gratiq́ topaci,
Purpureoq́ amethyſtos ineſt ſuffuſa colore.
Diuitias magnas ſic tellus illa miniſtrat.
Aſſiduiſq́ rigant hanc totam fontibus amnes:
Arboribusq́ viget variis, milioq́ frequenti,
Et pretio rubræ perfloret arundinis illa.

Hic

Hìc alii ſuperant procero corpore tantum,
Inſiliant equitum faciles vt more Elephantos:
Aſt alii viuunt ſapienti pectore nudi,
Luminibusq́ vident rectis, mirabile, ſolem:
Et radios oculis & ſacra mente retractant,
Signaq́ concipiunt arcana luce futuri.
Pſittacus hìc viridis, decoratus torque rubenti,
Naſcitur, humanæ ſimulat qui verbera linguæ.
Nunc age te fluuios, montcis, formamq́ docebo
Ipſius terræ, populos, genteisq́ beatas.
Marginibus ternis tellus hæc clauditur omnis,
Obliquatq́ latus per cunctas linea parteis.
Heſperios fineis immanis terminat Indus:
At notios pelagus concludit gurgite rubrum.
Sed Ganges ortus, & Caucaſus excipit arctum.
Hanc homines habitant multi ditesq́ colendam,
Nominibus variis diſcreti & finibus amplis.
Dardanei ripas contingunt fluminis Indi:
Hìc vbi præcipitem ſcopuli fundunt Aceſinem,
Huncq́ capax claſſis venientem voluit Hydaſpes:
Tertius hos ſequitur ſplendenti gurgite Cophes.
Taxilus inter quos habitat, cum gente Sabarum.
Hinc Scodri poſt hos ſunt, Peucaleiq́ feroces,

Gargaridæq́ truces: auri quà pondus honestum
Deuoluens Hypanisq́ vehit, rapidusq́ Magarsus:
Quos capit Emodo missos Gangetica monte
Tellus, porrigitur quæ ad terræa Colidis austros,
Oceani tangens pelagus sub collibus altis,
Quos volucres metuunt celeri contingeret penna,
Vnde locis Graii posuerunt nomen Aornin.
Hìc via quam celebrat nomen Dionysia Bacchi,
Cui statuas dederat victoria finibus illis.
Hìc Tylos est, superans vastæ miracula terræ,
Insula. nanq́ viret cunctis in partibus anni:
Nec foliis nudat ramos autumnus in illa:
Assidueq́ tenet floreis genus arboris omne.
Hìc Adamas fulget limphantia pectora sanans,
Et prohibens miseris occulti damna veneni:
Quem minimè valeat ferrum superare, nec ignis:
Frangitur hircino maceratus sanguine tantum,
Sed tepido, fractis multis incudibus antè.
Hic iuxtà positus magnetem viribus arcet
Occultis ferri raptu: vel tractibus ante
Admotum retrahit, defendens robore miro.
Hic lychnis lucem simulat splendore lucernæ:
Hinc meruit nomen præclaro lumine dignum.

Tot

Tot sunt per terras vulgata nomine gentes.
Nam reliquas quæ mens valeat mortalis in orbe
Dispersas numerare tibi, sine numine magno,
Quod bene disposuit terras pontiq́ profundum,
Sideribus variis decorans cælestia templa,
Et multis recreans gratisq́ coloribus arua,
Munera per populos tribuens diuersa virorum.
Sed vos terrarum tractus gaudete per æuum,
Et quæcunq́ mari circundatur insula vasto,
Oceanusq́ simul, nec non penetrabilis vnda,
Quam gremio tellus sinuoso suscipit alma:
Et fluuii, montesq́, lacus quos continet orbis
Nam pelagi parteis percurri carmine vastas:
Et terræ pariter regioneis finibus amplis.
Omnipotens pro quo genitor mihi præmia donet.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1703739183/phys_0057



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1703739183/phys_0060

Marmaridæ post hos Aegy… …nina vertunt:
Gætuliq; super sunt, vicini… …s.
Continuò post hos sequitur … tellus.
Hanc habitant iuxta Gara… …ebride clari:
Quæ superat cunctas vrbs … …re fontis,
Frigore qui noctis feruet ca… …& vmbris,
At solis friget radiis glacia…
Omnibus extrema populis c… …in ora
AEthiopes: Libyes vbi fini… …rne,
Oceanum nimio quæ pulsat … …tem.
Nec longè feruent Blemyor… …s agri.
Hinc fluuiii pinguis descend… …a Nili.
Partibus à Libycis qui curr… …d ortus,
Siris ab Aethiopum populis … …re fertur:
Versum cultores Nilum di… …s.
Hinc boreæ currens ad pari… …e pingui,
Fertilis Aegypti terras feci… …nas,
Septenoq; ferit Pellæum gur… …n:
Non alius tantum fluuiorum … …enas,
Atq; trahens limum comple… …re campos.
Hic latis Libyen Asiæ disteri… …s:
Hæc ortus cernit, videt au… …lenteis.
Hunc habitans iuxta sapie… …a virorum,

Dispo-